



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Additiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

## ADDITIONES.

**C**um fragilitas humani generis pertimescit vltimum vitæ tempus die subita-  
 nea transpositione ventura, vt non inueniat vnumquemq. imparatum, ne  
 sine aliquo boni operis respectu migret de seculo, nisi dum suo iure & potesta-  
 te consistat, præparet sibi viam salutis, dum precium in manibus habet, per  
 quam ad æternam valeat beatitudinem peruenire. Ideoque ego *Gaio* in Dei no-  
 mine cogitans pro remedio animæ meæ & remissione peccatorum meorum,  
 vt veniam in futuro consequi merear, trado omnem hæreditatem, quam mi-  
 hi ob vitæ parentum meorum obuenit, villas nuncupatas in pago quinuncu-  
 patur *Procpintal*, id est, *Obreinhoue*, & in *Cyreolo* seu foras montes, in loco  
 qui nuncupatur *Pettenpach*, vel vbiunque visus sum habere, cum terris do-  
 mibus, edificiis, mancipiis, accolabus, alpibus, syluis, campis, pratis, pascuis,  
 aquis, aquarum decursibus, adiunctis adiacentis appendenciis peculium vt-  
 riusque sexus mobilibus & immobilibus trado ad monasterium quod nun-  
 cupatur *Slechdorf*, vbi corpus Sancti *Tertuliani* quiescit, & *Atto* Episcopus  
 ibi præesse videtur vnacum monachis ibi degentibus, & recepimus à vobis in  
 beneficium illam terram quam habetis in *Pettenpach* de parte *Otilonis* & bo-  
 ues *IV.* & ea ratione vt censum soluere debeam dimidium solidum denario-  
 rum in argento aut in grano, & ipsa loca quæ superius prænotauimus nec ven-  
 dere nec alienare nec vllum naufragium imponere, sed emelioratas ad ip-  
 sum monasterium reuocare. Si quis vero quod futurum esse non credo huic  
 voluntati nostræ de quibuslibet adiuentionibus aliquis de hæredibus meis,  
 vel quislibet persona qui contra huius traditionis firmitatem frangendi reper-  
 tus fuerit, à conuentu omnium Christianorum, vel à limitibus Sanctarum Ecclesiarum  
 extraneus habeatur, & iude traditoris Domini nostri Iesu Christi fruatur cõfor-  
 tiũ. Insuper etiam inferat partibus ipsius monasterij, vel fratrum ibi consistentium  
 auri libras duas, ne sic quoque quod petit vindicare non valeat, & nihilominus  
 præsens traditio quæ propitiatione Dei & amore Christi conscripta est firma &  
 inuiolata omni tempore valeat permanere. Hij sunt testes, *Reginbart* Comes,  
 alius *Reginbart*, *Alprich*, *Rubo* Diaconus, *Zotto* Diaconus, *Engelprecht*, *Helmprecht*,  
*Nothart*, *Etti*, *Corrat*, *Engilprecht*, factum est hoc regnante Domino nostro Rege  
 in *Baiouvaria* Anno 12. V. Calen. Nouembr.

**R**esidentibus missis Domini *Caroli* Magni Imperatoris, *Arno* scilicet Archie-  
 piscopo ipsius vnacumque *Orend.* iudice in loco publico *Frising.* xami-  
 nandas cum iusticiam multorum aduenientium causas, ibique adu-  
 nians de  
 præsentate aduocatus *Attonis* Episcopi nomine *Lantfrid*, interpelle-  
 bat alium  
 quendam hominem, similiter nuncupatum *Lantfridum* filium *Irminfridi* cuius-  
 dam nobilis viri dicens quod iniuste possideret Sancti *Petri* de  
 monasterio  
*Slechdorf* quas prædictus *Irminfrid* potestatio iure tradidit ad prædictum mo-  
 nasterium pro salute animæ suæ, loca nuncupata *Starantia* cum appendiciis  
 suis in *Flurmig*, in *Pollingen*, in *Slechdorf*, in *Houenhaim*, in *Sindolfsdorff*, in *Gisingen*,  
 in *Pasingen*, in *Gresolfingen*, quæ omnia tradidit *Irmfrid* pater eius DEO &  
 Sancto *Petro* ad ipsum iam dictum monasterium temporibus Domini *Pipini* re-  
 gis & *Tasilonis* Ducis eorum consensu tunc ipse *Lantfridus* præsens astabat &  
 hoc nequaquam excusare præualens, quod ipsi missi prædictum hoc factum ita  
 esse diligentissime inquirentes per veraces & fideles homines inuenerunt. Ea  
 vero ratione vt ipse *Irmfrid*, legitimos hæredes filios procreasset, ipsi filij sui se-  
 cundum legem inde haberent portionem, & portio *Irminfridi* ad ipsum monaster-  
 ium stabilis



stabilis esset. Super hoc autem contentiose agens ipse supradictus *Lantfrid* cō-  
 prabat medietatem ipsius altaris de *Starantia* opus suum exquirere. Tunc ipsi  
 missi vna cum his, qui in ipso placito affuerunt præcogitantes stultitiam eius,  
 vt etiam sine graui damno euaderet mercedem sanctæ Dei Ecclesiæ & Domi-  
 ni Imperatoris rogantes ipsum venerabilem *Attonem* Episcopum complacita-  
 uerunt vlcuisset ei sine impositione legitima res prædictas sanctæ Ecclesiæ  
 sana manu etiam sine compositione emunitatis regis & sine debito regali red-  
 dere. <sup>\*regis</sup> Eo vero tempore hoc factum esset vt nunquam amplius quidquam re-  
 peteret de ipsa jam dicta Ecclesia, nihilque de prædictis rebus sibi amplius vin-  
 dicaret, & hoc ita coram testibus confirmatum & ascriptum est, quorum no-  
 mina in libro Tradit. habentur. Actum in *Frisingen* loco publico die consule II.  
 Non. Aug. anno ----- Imperij autem *Caroli* Serenissimi Augusti Indict. X.

**C**VM residissent venerabiles missi Domini *Caroli* Magni Imperatoris, *Arno* sci-  
 licet Archiepiscopus, *Adaluinus* coepiscopus eius & *Orendil* iudex ad exa-  
 minandas diuersorum terras cum lege, atque iustitiam terminandas in loco  
*Frisingen*. mallo publico. Ibiq; veniens aduocatus episcopi *Attonis* nomine  
*Lantfrid* interpellabat quendam hominem *Reginbertum* filium *Statonis*, eo quod  
 iniuste vsurparet sibi res sanctæ Ecclesiæ Dei ad sanctum *Tertulianum* traditas  
 ad monasterium *Slechdorf*, quas *Keio* patruus prædicti *Reginberti* ibidem pro re-  
 demtione animæ suæ coram testibus tradidit, & ipse *Reginbert* præfens astabat,  
 & ipsas in hæreditatem propriam habere cæperat. Tunc præfentes inuenti sunt  
 testes, qui testimonium inde proferebant, dicentes se scire atque astare quod  
*Keio* ipsas res potestatiua manu pro remedio animæ suæ ad ipsum locum san-  
 ctum tradidit, quidquid de\* propria sua in portionem suam contra fratres suos  
 pertinere debuisset. Tunc prædicti missi *Arn* Archiepiscopus, *Adaluinus* Episcopus  
 atque *Orindil* iudex ipsos homines qui hoc testificauerunt, in medium voca-  
 uerunt, & per Sacramentum fidelitatis quod Domino *Carolo* Imperatori ipso  
 præfente *Arno* iurauerunt, attestati sunt eos, vt omnimodis absque vlla fraude  
 vel ingenio, ita vt veracissimè de ipsa causa scirent, ita in palam adnunciaue-  
 runt & dixerunt. Scimus quod tres germani fuerunt, & vno defuncto duo su-  
 perstitites fuerunt, & diuidere debuerunt æqualiter inter se hæreditatem defun-  
 cti fratris *Scato* & *Poapo*, sed antequam diuisio hæc facta esset, mortuus est *Poapo*,  
 relinquens portionem suam filio suo *Keyone*, & ipse *Keyo* bene valens portionem  
 quæ ei accedere debuit contra patrum suum tradidit Deo & Sancto *Tertuliano*  
 ad *Slechdorf*. Sed molente *Keyone* retinuit omnia hæc *Statto*, & retinuit filio suo  
*Reginberto*. Tunc ipsi missi cum *Orindilo* iudice & cæteris veracibus hominibus  
 tractauerunt pro qua causa *Reginbert* possidere debuisset portionem nepotis sui  
*Keyonis* hæreditariam, quam ipse pro anima sua Deo tradidit, & sanctis eius.  
 Tunc conuictus cum lege & iustitia *Reginbertus* de præfente reddidit aduocato  
 ipsius Episcopi *Ellenmodo* loca nuncupata *Allingas*, *Kisingen* & *Germaniskaurie*, vt  
 amplius eas possiderent præfules loci illius absque vlla contradictione euindica-  
 tas jure perpetuo & ita finita est contentio coram residentibus & astantibus  
 multis, & testes vsu *Baioariorum* per aures ex vtriusque partibus tracti vt am-  
 plius examen firmum esset, nomina testium in libro Tradit. habentur. Actum  
 & confirmatum est hoc in loco publico *Frisingen*, in mallo publico, regnante  
 & imperante Domino *Carolo* magno Imperatore XXXV. & in *Baioaria* secun-  
 do, Indict. X.

Cata-



Catalogus Prælatorum huius Monasterij alius exhiberi non potest, præterquam qui sequitur.

*Ioann. Hyrn*, gubernavit an. 1496.

*Ioann. Coci*, an. 1508.

*Augustinus Hobentzner*, an. 1550.

*Georg. Sedlmayr*, an. 1561.

*Wolfgangus Puecher*, an. 1607.

*Christophorus Elvvanger*, modernus Præpositus.

### SCHLIERS.

**D**E institutione & fundatione huius Monasterij, ordinis **Canonicorum Regularium**, ad lacum Schliers, inter Oenum & Mangualdum flumina ad radices alpium situm, scribit Auent. in suis Annalib. lib. 3. fol. 303. Adalund, Hildeuuld, siue Hiltbold, Odacer, Garioualda, siue Gariobald, Antonius, claris orti natalibus, ad Sylurnum lacum, Monachis æris, hoc est, Benedictinis templum ædificarunt, Aribo Episcopus Frisingensis dedicauit, Berchtoldum juris diuini consultum ipsis Patrem dedit, & hoc sub Tassilone, Duce Bauariæ, circa Annum Domini 760. De hac fundatione scriptum reperio in libro magno traditionum Frisingæ, cuius stylus non omnino congruus est, &c. Regnante in perpetuo Domino nostro Iesu Christo; Ego itaque in Dei nomine Adalund simul cum fratribus nostris, nomine Hiltbold seu Kerpald, nec non & Antonij, siue Otakir, inspirante diuina gratia, secularia negotia deserentes, locum nobis elegimus de communi hæreditate nostra, siue parentum nostrorum in vasta solitudine Eremiti, quæ dicitur Schliersee, & ibidem, adiuuante domino Deo nostro, cellulam more solito construximus. Nam & oratorium cum consensu Episcopi Dni Aribonis ædificauimus, deinde aduocante prædicto Episcopo ad consecrandam prædictam Ecclesiam ita factum est. Deinde sub ditione ipsius Episcopi nosmetipsos commendauimus per omnia, & inde de manu Episcopali electum nobis Magistrum, virum venerabilem, nomine Berchtol, in nostro suscepimus Magisterio, deinde post biennium complacuit fratribus eligere prædictum Berchtol ibidem Abbatem per consensum fratrum, adduximus eum ad prædictum Episcopum, iuxta ordinem regulæ S. Benedicti, electum ordinauit & nobis posuit Abbatem. Ideoque decernimus cum consensu ipsius prædicti Episcopi nostri, ut secundum autoritatem S. Benedicti regulam regerent, & ibidem regulariter de ipsis fratribus sibimetipsi eligerent Abbatem, ipso ordinante Episcopo de domo S. Mariæ. Si ibidem forsitan defuerint tales inter ipsos fratres, de domo Episcopali eligant Abbatem, ordinante Episcopo. Actum in prædicto Monasterio Schliersee, sub die consul. quod fuit 12. Calend. Februar. Indiæ XII. regnante Dño Tassilone, anno 32. Et ipsi subscripti fratres inuicem testes extiterunt. Hos fundatores puto fuisse familiæ Waldecensium Dñorum, tamen enim hoc Monasterium, cum aliis plerisque, circa Annum 907. per Vngaros vastatum, per Octonem Epum Frisingensium, cum fratre Heinrico, Duce Bauariæ, ex familia Leopoldorum Austriacorum Marchionum, vnâ cum aliis Monasteriis Bauariæ, circa Annum 1140. restauratum sit, translatis eò Canonicis regularibus, nihil tamen præcipui contulerunt, ut puta qui in Bauaria nihil proprii habebant, atque ibi modico tempore regebant, vnde pro fundatoribus huius Monasterij non habendi, sed potius Dni Waldecenses.

PRO.